
Co… [covered by label] …ecclesiasticae

Sarbiewski Matthias Casim: Oratio panegyrica habita in solenni corporis D. Casimiri translatione —

Vilnae typis acad. 1636.



ORATIO

PANEGYRICA HABITA

In Præsentia

Serenissimi ac Inuictissimi

VLADISLAI IV.

POLONIÆ & SVECIÆ
REGIS.

A R. P. MATTHIA CASIMIRO SARBIEWSKI

Societatis IESV, S. Theologiæ Doctore, & Sacræ Regiæ Maiestatis Concionatore.

In Solenni Corporis D. CASIMIRI Translatione, priusquam publicâ Processione per Vrbis Vilnæ plateas in Regium Cathedralis Templi Sacellum deferretur.

Anno 16,6[illegible] 14. Augusti.



VILNÆ, Typis Academicis Societatis IESV,
Anno Domini 1636.

ORATIO
PANEGYRICA.

QVod à Deo Optimo Maximo, Diuisq́ Regni Poloniæ, ac Magni huius Ducatus Lituaniæ, ac præcipuè ab ipso amplissimo huius Vrbis Indigete ac Patrono D. Casimiro, conceptis votis ac desideriis precati sumus, vt, quemadmodum magnus Illius ac sacer animus iam pridem in certa aliqua immortalitatis sede conquieuit, ita Virgineum Eius integerrimumq́ Corpus, in augustum aliquod ac fixum Mausoleum, solennibus ceremoniis, ac festâ supplicationis pompâ deportaretur. id nos hodiernâ die consequi demum, collecto in hanc principem Basilicam, & effuso ad has sanctissimas Aras gaudio, lætamur vniuersi. Quod enim SIGISMVNDVS III. *cùm magnificentissimæ illius* CA-

SIMIRIANÆ ædis fundamenta iaceret; quod ZACHARIAS VICENTINUS, EPISCOPVS GARDIENSIS Summi Pontificis Legatus, cùm Diuo ipsi CASIMIRO sacros ritus ac religiones procuraret; quod BENEDICTVS WOINA Præsul Vilnensis, cùm consecrationis eius Labarum huic templo inferret, cognitione ac votis destinarant, hoc fortunatissimis VLADISLAI IV. Regis Inuictissimi auspiciis, hoc MARII PHILONARDI Nuncij Apostolici optatissimâ præsentiâ, hoc ABRAAMI WOINÆ Vilnensis Antistitis vigilantissimis studiis atque curis, hodiernâ die in hac tanta omnium ordinum atq; ætatum frequentia confici demum ac profligari videmus. Stat nobis præ oculis sacra Diuo CASIMIRO non hæc modò temporis ac stationis, verùm etiam illa domicilij & quietis augusta moles, formâ insignis, artificio illustris, opere singularis,

omni

omni genere peregrini marmoris, politissimiq; lapidis conuestita, dignum Regiâ magnificentiâ, dignum tanti temporis exspectatione, dignum maximis impensis opus, quod ita lateri templi huius inhæret, vt gemma annulo; ita hanc principem Lituaniæ Arcem atq; Vrbem condecorat, vt corona caput; ita Magnum hunc Lituaniæ Ducatum illustrat, vt Sol Vniuersum. Jacent interim præ oculis paulò antè è terra erutæ, & sub hoc augusto tholo collocatæ mortales Diui CASIMIRI exuuiæ, beatæ illius mentis sedes, innocentis animi domicilium, virtutis officina, trophæum castitatis per Vrbis Vilnæ plateas, non vestris magis, piissimi Sacerdotes brachiis, quàm totius Lituaniæ suspiriis ac votis deportandum. O gloriam virtutis! ô triumphum Humilitatis! ô nunquam diu ignotam, & iacentem in terris Sanctitatem! Nunc enim demum intelligimus, sanctissime Princeps CASIMIRE, quorsum Tua illa præstans virtus, quor-

ſum humilitas, quorſum omnium opum atq; honorum contemptus pertinuerit, quò euaſerit. Memini enim, memini, quoties præclara adoleſcentiæ Tuæ geſta recolo, cùm Tu in hac arce regia, quietâ iam, & in ſoporem cõpoſitâ aulâ, Te regio delicatoq; lecto proriperes, & hoc ipſum Virgineũ Corpus, quod ante nos poſitum veneramur, in oculis ſupremæ Maieſtatis humi abijceres, multasq; horas ſupplex ac lachrymabũdus, iaceres. Memini etiam, memini, & quoties religioſiſſimæ huius Baſilicæ porticum ingredior, non ſine ſacro quodam, ac pio mentis horrore recordor, cùm Tu ex ſumma arce, ex intimo Tuo cubiculo, intempeſtæ noctis ſilentio, ſolus, tremulus, atq; horrens, denſis duntaxat tenebris comitatus ac tectus, ad hoc ipſum Templi veſtibulum deſcenderes, ad has valuas hoc ipſum Regium Corpus humi proſterneres, & Diuinæ reuerentiæ, Tuiq; demiſſionis ſtudio cæleſtem illũ vultum in puluere verſares, quem totius Vrbis pedes intuliſſent. Itaq; qui tunc ad limen

delu-

delubri huius supplex atq; humilis iacuisti, nunc sub hoc sublimi Basilicæ tholo recumbis: qui solus atque incomitatus lucem ac gloriam pietatis Tuæ silentio noctis ac solitudine tegebas, nunc oculis omnium ac venerationi pates: qui Te tunc humi abiectum, ac, si liceret, sub Vrbis huius pedibus positum gestiebas, paulò pòst sub illius augustissimi Mausolei tectum, totius Vrbis humeris deportabere.

Non hæc eò dico, Auditores, neq; is est sensus orationis meæ, quasi hæc sint præmia, hi honores, qui animo, qui Corpori CASIMIRI præcipuè debeantur: alia est enim gloria, alia merces, quæ beatissimæ illi menti, posteaquam è corpore excessit, meritò tribuitur. alij triumphi hoc castissimum Corpus in cælo manent, quorũ hodierna hæc pompa, vmbra quædam est, & fugitiua ac breuis imago. Erit enim tempus, erit, Auditores, cùm hoc idem Corpus, non argenteo loculo reconditum, sed syncerâ atque innubilâ immortalitatis

luce

luce perfusum, non per pulverulentas Vrbis alicuius plateas, sed per vicos cælestis Hierusalem, gemmis atque auro collucentes; non sub arcubus temporariis, sed sub smaragdinis sapphirinisq; porticibus; non inter breues, ac citò morituros symphoniæ sonos, sed inter immortales choros; neq; transitorio, sed perenni triumpho; neq; sub aliquod caducum Mausoleum, sed in æternum Beatorum Capitolium deuehetur. Si quæ tamen est inter animos ac Corpora Beatorum necessitudo; si quis inter cælum ac terras consensus, si quæ apud immortales animos mortalium rerum cura atque sensus; si quæ etiam inter Deum sanctissimasq; Mentes amicitia, profectò ego hanc hodiernam publicæ supplicationis pompam, gratam esse inprimis Deo, gratam augustissimæ Virgini Matri, gratam Diuis Tutelaribus nostris, nobis verò non iucundam modò, verùm etiam vtilem futuram reor, ac salutarem. Quid enim inprimis carius esse possit præstantissimæ illi

supre-

supremæq; Naturæ, quàm eos vel maximè publicæ gratulationis obsequio & honore coli, qui eius reuerentiâ opes omnes, omnes honores repudiarint? repudiauit CASIMIRVS. Quid æquius videri debeat, quàm Corpus illud in triumpho deferri, in quo quisquam de voluptate, teterrimo nostro Diuinoq; hoste triumphauerit? triumphauit CASIMIRVS. Quid deniq; Diuinæ amicitiæ conuenientius censeri possit, quàm Corpus illud, publico honori ac venerationi exponi, quod quisquam amore eiusdem Numinis vigiliis, ieiuniis, ciliciis, flagellis, omnium rerum tolerantiâ exercuerit, morti deniq; ipsi exposuerit? exposuit CASIMIRVS. Magnus ille Macedo Alexander in amicissimi Hephæstionis monumentum decem talentûm millia effudit, atque eius cadauer triumphali curru ad funus deduxit. Adrianus Imperator Publium Memmium inuictæ virtutis ac continentiæ virum, pom-

pâ triumphali sepeliuit. Antonio Pertinaci, quòd amore patriæ fortiter in prælio occubuisset, Senatus Populusque Romanus, supplicationes ad Deorum omnium puluinaria, ac triumphum decreuit. Quod igitur humanæ amicitiæ rationes, quod præstantia Heroum istorum merita perfecerunt, vt honos animis debitus, redundaret in corpora, hoc cælestis illa ac Diuina amicitia non præstabit, vt vel in ipsis mortalibus exuuiis triumphent, qui eas amore virtutis, præcipuèque castitatis exuissent? Quare neque istud mihi fortunâ, aut humano duntaxat consilio euenisse videtur, sed eximio Augustissimæ Virginis Matris fauori, meritisq; CASIMIRI tributum, quòd hæc Casimiriana pompa in eius diei peruigilio peragatur, quo ipsius Virginis Matris sanctissimum Corpus inter triumphales Beatorum choros in cælum delatum est: vt Casimiriana pompa

Ma-

Marianæ additamentum quoddam eſſet, ac Præluſio OMNI! Tu quidem DIE dicendas MARIÆ laudes cenſuiſti Sanctiſſime Cliens CASIMIRE: OMNI DIE EIVS FESTA, EIVS GESTA coluiſti ſplendidiſſima: at Auguſtiſſima DEI Mater eius Te diei, eius feſti ſocium participemque effecit, quo illius intaminata Virginitas continuato è terris ad cælum triumpho euolauit.

Quid iam de cæteris Tutelaribus Diuis cenſetis, Auditores? quàm grata illis, quamq́ iucunda eſt magnificentiſſimæ huius ſupplicationis celebritas? Dubitarene poteſtis eos ex celſiſſima illa beatitatis ſpecula hodiernâ die in hanc Vrbem proſpectare? hanc tantam frequentiam veſtram, hæc omnium Ordinum ac ſocietatum vexilla contueri? Deus immortalis! quanto gaudio domeſtico huic ſpectaculo intereſt, Diuus ille STANISLAVS

Cracouiensis Præsul ac Martyr, huius ædis Patronus ac Præses? quo deinde vultu? quâ alacritate ad hanc honoris pompam sese effundunt cæteri Regni Poloniæ, Magniq; Duc. Lituaniæ Tutelares, ADALBERTVS, VENCESLAVS, HYACINTHVS alterq; STANISLAVS KOSTCA, qui hodiernam mortis suæ diem in triumphum CASIMIRO commodauit? Quid? nonne in hoc eodem templo impressa à CASIMIRO sanctitatis vestigia indigitant, atque recensent? Hic CASIMIRVS piis vberibusq; lachrymis solum rigabat. hic affusus ad limen ædis huius totas noctes iacuit: hic afflictis egentibusque largum æs partiebatur. hic cum incruenta altaris mysteria peragerentur, sui ipsius corporis, ac pene mentis exul, Diuinæ incola, cælestis voluptatis fluenta bibit. Quòd si antiquos illos JAGELLONIDAS: illos,

illos, illos Poloni Lituaniq́ generis Reges atque heroas in cælestes iam regiones receptos credimus, prout credere certè pro singularibus eorum meritis possumus: spectat è cælo Magnus ille JAGELLO VLADISLAVS nepotem suum CASIMIRVM: spectat VLADISLAVS eius nominis III. Rex Poloniæ atque Hungariæ pro focis & aris Christianis gloriose ad Varnam à Turcis interfectus, Fratris filium: spectat Andreas ipse Rex Poloniæ CASIMIRVS filium: spectat VLADISLAVS Rex Bohemiæ atq. HVNGARIÆ, spectant JOANNES ALBERTVS, ALEXANDER, ac SIGISMVNDVS Reges Poloniæ fortunatissimi fratrem suum, non magis in hoc triumphali ferculo, quàm in animis omnium nostrum ac pietate, ouantem, & triumphantem.

Beatum te SIGISMVNDE III.

 Rex

Rex gloriosissime! tu præcipuè in hac inclyta Regum maiorumque tuorum corona gestie s, cùm VLADISLAVM IV. VLADISLAVM *(inquam) tuum, non tui magis sanguinis, quàm virtutis, non sceptri magis, quàm gladij heredem, neque regni tantùm, verùm etiam pietatis vicarium adspicies sanctissimas Proaui sui reliquias per hanc Vrbem summo cultu ac veneratione prosequentem, & sub illud ornatissimum Mausoleum, cui tu fundamentum, ille culmen atque ornatum dedit religiosissimè inuehentem! Certabit enim hodiernâ die* VLADISLAVS IV. *cum antiquis illis Christiani nominis Regibus, atque* HEROIBVS *non iam de bellicis triumphis, sed de pietatis ac religionis officiis: & quod olim publicæ supplicationis ac pompæ officium præstitit Theodosius* CHRYSOSTOMO, *Clodouæus Dionysio, Luitprandus Augustino, Carolomannus Thebæo, (sed quid*

extera

extera atque antiqua commemoro) quod BOLESLAVS ille noster CHABRI Adalberto; quod VLADISLAVS princeps Stanislao; quod Magnus Casimirus Floriano, hoc pulcherrimâ quadam felicitatis atque religionis æmulatione VLADISLAVS IV. præstabit CASIMIRO. Neque interim VLADISLAI pietati deerit CASIMIRI fauor, & non illi duntaxat, sed etiam huic vniuersæ VRBI, hanc hodiernæ gratulationis atque honoris pompam, faustam volet esse ac propitiam. Ibis enim Sanctissime Princeps CASIMIRE, ijsq́ sacerdotum lacertis subuectus, ac limen huius Basilicæ egressus, amplissimum inprimis palatium, ornatissimam Lituaniæ Regiam inuises: nonne et loco secundam aliquam felicitatis auram afflabis, quem innocentiâ, quem pietate, quem vitâ integerrimâ, quem sanctissimâ morte consecrasti? Lustrabis

bis deinde dextrum Arcis latus, Regij Tribunalis sedem, legum ac iudiciorum domicilium. nonne huic quoq; loco genium aliquem benignitatis Tuæ adspirabis, quo afflictos egentesq; homines, quo viduas, quo pupillos ab improborum iniurijs, ac rapinis vindicabis? Digressus ab Arce principem Urbis plateam sacris Prælatorum domibus illustrem circumspicies. nonne in illis pristinam pietatis flammam exsuscitabis, quam olim apud eorum maiores accenderas, cùm in hac æde sacris eorum diurnis nocturnisq; cantibus quotidie interesses? Diui tandem Joannis maximum templum ac florentissimam Urbis huius Magniq; Ducatus Academiam prætergrediere. nonne Lituanæ Juuentuti suauissimum Castitatis odorem affundes, cui omnem ætatem, mortem etiam ipsam in preclarum innocentiæ exemplum impendisti? Longius paulò pòst spatium emensus in amplissi-

plissimo Urbis foro consistes, & hinc curiam ac prætorium civitatis, inde augustissimum sumptuosissimumq; templum tuo nomini consecratum, ac piis huius Urbis atque Ducatus donariis à minima nostra Societate erectum contemplabere. nonne Urbi ipsi, nonne Ducatui secunda omnia, ac propitia, nonne Societati precabere? Sed quid ego beneficia Tua, quæ hodie Urbi huic impensurus es, quasi per stationes recenseo? Quamcumq; domum præterieris, quocunq; constiteris loco, quocunq; inter festos lætosq; cantus progrediêre, nonne diu post Te duratura vestigia communis salutis atque incolumitatis imprimes? Scande iam castos sacerdotum humeros Castissime Princeps CASIMIRE. & dum magnâ Tui parte portaberis, Ipse VLADISLAI IV. Regis Inuictissimi vota attolle; Ipse spes Senatus Populiq; Poloni atque Lituani sustenta; Ipse fulci desideria populorum,

 ut

vt Te Præſide atque Patrono, hæc inclyta Patria, quam Tu communem nobiſcum agnoſcis ac veneraris parentem, hoc Septemtrionis decus, hoc Europæ columen, hic orbis Chriſtiani murus diu ſtet incolumis, diu publicæ pacis tranquillitate fruatur, diu ſupremi numinis cultu ac reuerentiâ floreat, diu VLADISLAI IV. Regis fortunatiſſimi immortalibus ornetur triumphis.

DIXI.





